

Synodus Oecumenica III. Ephesum auctoritate Theodosij Iunioris coacta, unâ cum autore suo anathemate percussit. Socrat. l. 7. c. 32. Evagr. l. 1. c. 2. & seq. Niceph. l. 14. c. 32. Tripart. l. 12. c. 4. & 5.

15. Nestoriana igitur hereseos capita isthæc fuere 1. Unionem personalem duarum naturarum in utero Mariæ minimè factam 2. Naturarum, ac earundem Idiomatum communicationem mutuam nullam prorsus inde effluxisse. 3. ac proinde, quæ Humanitatis sunt propria, nullâ ratione λόγῳ & vice versa, quæ divinæ naturæ ἢ λόγῳ sunt propria, humanitati assumptæ, in unitate ὑποστάσεως sive personæ, minimè posse competere.

16. Opponimus impietati huic, sequentes Ecclesiæ Catholice hypotheses: 1. Non duo sunt Christi: sed unus ex duabus non personis, sed naturis constans. 2. Modus unitatis huius non est nisi hypostaticus sive personalis. 3. Unio duarum istarum naturarum facta in ipso B. Virginis Mariæ utero. 4. Ex unione istâ resultat tum mutua Naturarum: tum ipsorum quoque Idiomatum arctissima ac ineffabilis κοινωνία.

Tom. 1.
Cont. p. 4.
59. & 460
edit. an
1590.

17. Iesuita Bellarminus & suam & Sacramentariorum causam strenuè agens, Nestorianam hæresin duplicem constituit: Contendens Nestorium docuisse. 1. B. Virginem Mariam nudum hominem peperisse, Deinde FILIVM DEI unitum.